Friedrich Reinhold Frommann

De ambiguorum in Aristophanis comoediis usu

PROGRAMM,

womit

zu der auf Mittwoch, den 2. April 1879, angesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

städtischen Gymnasiums zu Danzig

sowie

zu der sich daran anschliessenden Entlassung der Abiturienten

ergebenst einladet

Dr. Otto Carnuth,
Director.

Inhalt:

DANZIG.
Druck von Edwin Groening
1879.

1879. Progr.-Nr. 25.

FRIDERICI REINHOLDI FROMMANNI

de ambiguorum in Aristophanis comoediis usu

commentatio.*)

Varium et multiplex apud Aristophanem esse id genus facetiarum, quod in ambiguitate verborum positum est, vel una ex eius fabulis perlecta cognoveris. Quae ambigua, sicut in priscis recentiorum linguarum monumentis quae quaesita illa sonorum similitudine[1]) continentur verba, item natura ita comparata sunt, ut a depravationis periculo defendantur. Verbo enim mutato salem amittunt.

Cum igitur criticorum opera in hoc genere fere nulla sit; quod ad interpretes attinet, per ipsam illam varietatem huius generis fieri non potest, quin eiusmodi quoque inveniantur loci, in quibus dubites, inesse ambiguitatem dicas an neges, aut, cum inesse appareat, de explicandae eius ratione incertus haereas. Quare, cum interpretes de huiusmodi locis ex suo quisque ingenio alii aliter statuant, rationem quaerere, qua certum possis de singulis locis iudicium facere, operae pretium videbatur. Itaque colligendis comparandisque quae apud Aristophanem inveniuntur ambiguis, usus qui sit Aristophanis in hoc genere, investigare studui. Quem nunc, qualem assequi potui, describam: postea, qui inde fructus capiantur, in explicandis nonnullis locis experiar.

---

*) [Fridericus Reinholdus Frommannus Ienensis, cuius de vita et obitu dictum est in huius gymnasii annalibus 1875 p. 11 et 1877 p. 5, cum, quicquid otii a muneris officio ac diligentia superesset, dedisset optimarum artium ac praecipue antiquarum litterarum studiis, hanc moriens in schedis reliquit commentationem, incohatam eam quidem nec nisi aliqua ex parte absolutam, quae tamen ut in annalium nostrorum prooemiis ederetur, eo etiam facilius impetravit egregii iuvenis parens venerandus, quod quam in illo, dum vixit, per biennium perspicere nobis videbamur et in hoc libello agnoscimus doctrinae subtilitatem atque elegantiam etiam ipsis litteris sperare licet nonnihil esse profuturam. Mutare in ea quicquam, nisi paucissima quaedam ac levissima, quae auctor, si viveret, sive monitus sive non monitus emendaturus esse videretur, religioni habuimus. R.]

[1]) quam nos „Reim" dicimus.

I.

Nemo autem, ut iam ad priorem illam partem accedam, hanc consuetudinem Aristophanis persequendam sibi adhuc sumpsit. Ac ne apud eorum quidem quemquam, qui totum hoc genus, quod est ambiguorum, descripserunt, Aristophanis ulla fit mentio. Nam — ut de recentioribus taceam — et Cicero et Quintilianus, qui, cum de ridiculis disputarent, ambigua quoque attigerunt[2]), exemplis utuntur domesticis. Graecorum autem ei libri, quos Cicero ut de ridiculis inscriptos commemorat — ridicula et salsa multa Graecorum in eis se invenisse testatus[3]) — interierunt. Quod autem eos, qui eius rei rationem quandam artemque tradere conati essent, insulsos exstitisse Cicero dicit[4]), Aristotelem quoque de ridiculis scripsisse ipso Aristotele auctore constat, quae disputatio inter perditas librorum *περὶ ποιητικῆς* partes fuit[5]).

Quibus adminiculis cum destituti simus, rationem quoque ambiguorum tutius duxi me tum expositurum esse, ubi eorum usum apud Aristophanem descripsissem, quia tanta apud eum copia exemplorum et generum varietas est, ut exempla aliunde petita ad describendam rationem non suffectura esse videantur. Hoc tantum proponam, duplex potissimum esse genus ambigui. Luditur enim aut in ambiguitate unius cuiusdam verbi duas res significantis aut in similitudine sonorum, quibus duo verba inter se diversa utuntur. Et huius quidem generis, quod teste Cicerone[6]) Graeci *παρονομασίαν* vocant, exemplum afferam, quod Nobiliorem mobiliorum Cato dixit[7]); ad illud autem pertinet, quod aliquanto tristius Quintilianus solum sufficere dicit[8]), ut hoc genus non totum repudietur: cum enim accusator Milonis identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, „sero“ Cicero respondit. Utrumque autem genus apud Ciceronem[9]) appellatur nomine ambiguum, quod fere eodem redit, quo nostrum „Wortspiel“. Iam vero, quae utrumque genus exemplorum vel similiorum vel dissimiliorum contineat discrimina, ex ipso Aristophane doceamur.

Cuius ita commodissime descripturus mihi videbar consuetudinem, ut ab ambiguis unius cuiusdam fabulae ex ordine recensendis profectus, quod quoque exemplo indicaretur genus, id exemplis e reliquis fabulis desumptis accuratius describerem. Ranas autem elegi, tum propter exemplorum copiam et varietatem, tum, quia in ea plus quam in caeteris comoediis versatus eram. Eos autem locos, de quibus, num ambiguitas in eis insit necne, controversia inter interpretes est, transmittam.

---

[2]) Cic. de or. II, 62,253—64,258. Quint. inst. or. VI, 3,45—56. [3]) l. c. II, 54,217. [4]) ibid. [5]) Aristot. rhetor. III, 18,7. [6]) l. c. II, 64,256. [7]) ibid. [8]) l. c. VI. 3,49. [9]) Cic. l. c. II, 64,256.

1. Itaque in prologo Ranarum Dionysum Hercules, postquam eum Euripidis repetendi causa iter ad inferos facere comperit, miratus, quod mortuo opus esset, de quibusdam poetis etiamtum viventibus percontatur. Versu[10]) autem 83, cum de Iophonte accepisset, sic pergit interrogare:

83 *ΗΡ. Ἀγάθων δὲ ποῦ 'σθ'; ΔΙΟ. ὅπου 'στ'; ἀπολιπών μ' οἴχεται*
ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.

Manifestum est adiectivum *ἀγαθός* ideo positum esse, quo alludatur ad nomen Agathonis. Cuius lusus ea ratio est, ut appellativa adiectivi *ἀγαθός* notio transferatur in nomen proprium *Ἀγάθων*, Agathonem igitur nominis sui quasi quoddam omen explere verbis *ἀγαθὸς ποιητής*[11]) affirmetur.

Similis ratio intercedit inter nomina proprium *Ἀναγυρουντόθεν* et appellativum *ἀνάγυρος* Lysistratae vs. 67 . 68.

67. *ΚΑΛ. πόθεν εἰσίν;* (mulieres quaedam appropinquantes)
ΛΥΣ. Ἀναγυρουντόθεν. ΚΑΛ. νὴ τὸν Δία.
ὁ γοῦν ἀνάγυρός μοι κεκινῆσθαι δοκεῖ.[12])

Recte enim illas mulieres ex Anagyrunte pago dici esse Calonice inde suspicatur, quod anagyrum, florem, qui tritus male olebat, sensisse sibi videtur.

Antecedente autem appellativo nomine, proprio sequente, quo fit, ut appellativa vis iam praeparata in pronuntiato nomine proprio una percipiatur, in Equitum vs. 900.901 dicitur:

900 *ΑΛΛ. οὐ γὰρ τόθ' ὑμεῖς βδεόμενοι δήπου 'γένεσθε πυρροί;*
ΔΗ. καὶ νὴ Δί' ἦν γε τοῦτο Πυρράνδρου[13]) *τὸ μηχάνημα.*

Similiter in nomine *Τριτογενής* luditur in eiusdem Equitum vs. 1189:

1188 *ΔΗ. ὡς ἡδύς* [*ὁ οἶνος* scil.] *ὦ Ζεῦ, καὶ τὰ τρία φέρων καλῶς.*
ΑΛΛ. ἡ Τριτογενὴς γὰρ αὐτὸν ἐνετριτώνισεν.

Qui lusus prorsus aequalis esset ei, qui conditur in verbis *πυρροί — Πυρράνδρου*, si *Τριτογενής* nomen re vera a numerali *τρίτος* = tertius repetendum esset. Sed id ipsum ioci hic accedit, quod insiciarius Tritoniae nomen ita interpretatur, tamquam prior eius pars, quae est *Τριτο*, ipsum illud esset numerale. De hoc autem genere agendi proprium locum infra nanciscemur.

---

[10]) utor editione Bergki, quae prodiit Lips. 1867 [Imo v. 83 lectio non est Bergkiana sed Meinekiana. R.]

[11]) caeterum *ἀγαθός* de mortuo dici solere Weckleinius monet in commentat. in Aristoph. Ran. p. 2 in 'Universitati liter. Monacensi Gymnasii Max. Monac. rector et collegae congratulantur' Monac. 1872.

[12]) proverbii illius his verbis tacti, quod est *ἀνάγυρον κινεῖς*, 'de eis dictum qui mala sibi ultro arcesserent', huc non pertinere translatam vim recte monet Rohdewaldius 'de usu proverbiorum apud Aristoph.' p. 32 (programm. Gymnas. Arnold. Burgsteinfurt 1857); tamen id non, ut ille censet, nulla sententiae habita ratione in verborum lusum convertitur, sed proprie illa verba accipienda sunt. Malum enim odorem Calonicen percepisse consentaneum est, priusquam interrogaret *πόθεν εἰσίν*. Et exclamat illa in fine versus antecedentis: *ἰού ἰού*, quae est dolentis interiectio. Non enim, ut Schinckius 'de interiectionum epiphonematumque vi atque usu apud Aristoph.' Hal. Sax. 1873 p. 25 vult, circumflexo *ἰοῦ ἰοῦ* scribendum est, tamquam gaudeat Calonice. Calonice enim, ut respondeat verbo *Ἀναγυρουντόθεν*, cum malum illum odorem notare velit, anagyrum tritum esse dicit sibi videri.

[13]) Cleo enim ut intellegatur, non semper *βύρσα* opus est, quod Muellerus-Struebing sibi finxisse videtur, cum scribendum proponat *Βυρσάνδρου* in Aristoph. u. die histor. Kritik (Leipz. 1873) p. 70. 71 Anm.

Non autem intra nomina propria illud genus, de quo nunc disputamus, continetur; ad appellativum quoque appellativi notio refertur. In eodem enim Equitum loco, quem modo attuli, Paphlago et insiciarius, cum dona sua exigua Demo commendare studeant, magna quaedam ex eorum nominibus praesagiunt:

1181 *ΚΛ. ἡ Γοργολόφα σ' ἐκέλευε τουτουὶ φαγεῖν*
ἐλατῆρος, ἵνα τὰς ναῦς ἐλαύνωμεν καλῶς
et 1183 *ΑΛΛ. λαβὲ καὶ ταδί νυν. ΔΗ. καὶ τί τούτοις χρήσομαι*
τοῖς ἐντέροις; ΑΛΛ. ἐπίτηδες αὔτ' ἔπεμψέ σοι
εἰς τὰς τριήρεις ἐντερόνειαν ἡ θεός.

Et in his quidem exemplis ea verba, in quibus luditur, inter se cognata sunt (*ἐλατήρ — ἐλαύνειν, ἔντερα — ἐντερόνεια*); sed etiam tum, cum prorsus diversa sunt, alterius significatio ex altero repetitur. Cuius rei luculenta exempla sunt Pacis in versibus 925 qss., ubi. quo potissimum animali sacrificandum sit, chorus et Trygaeus deliberant; e quibus primum exscribam, reliqua verbo tantum indicabo:

925 *ΤΡΥ. τί δαὶ δοκεῖ; βούλεσθε λαρίνῳ βοΐ;*
ΧΟΡ. βοΐ; μηδαμῶς, ἵνα μὴ βοηθεῖν ποι δέῃ,
927 *υἵ* — 928 *ὑηνία*
930 *οἵ* = ove — 933 *οἵ* = *οἵ* Ionico more pronuntiato.

Itaque totius huius generis ea ratio est, ut alteram rem ex altera effici ex nominum similitudine concludatur[14]). Hoc autem discriminis inter singula exempla intercedit, quod aut sequitur id verbum, quod ex altero repetitur, aut eo praemisso tum, cum alterum pronuntiatur, huius et propria vis intellegitur et ea significatio, quae in sono posita est, percipitur. Et huc quidem pertinent ea exempla, quae sunt *Τριτογενής* Eq. 1189 et *Πυρράνδρου* ibid. 901[15]), illuc reliqua, quae possint nonnullis augeri.

2. In eodem Ranarum loco, a quo modo profecti sumus, sic pergunt interrogare Hercules, Dionysus respondere:

85. *ΗΡ. ποῖ γῆς ὁ τλήμων; ΔΙΟ. ἐς μακάρων εὐωχίαν.*

ἐς μακάρων εὐδαιμονίαν potius auditurum te esse putaveris; *εὐωχίαν* Dionysus dixit, quia non de vita Agatho decessit, sed eo recessit, ubi molli et suavi etiamtum uteretur vita, ad Macedonum scilicet regem. Quare cum verbo *εὐωχίαν* a proverbio illo deflexum sit, fieri non potest, quin *μακάρων* ad eosdem referas, ad quos *εὐωχίαν* pertinet. Et belle accidit, quod, cum re vera Macedones propter vitae illam suavitatem quodammodo beati, *μάκαρες* dici possint, praeterea ea intercedit inter priorem huius vocis partem et Macedonum nomen similitudo, ut *ἐς μακάρων εὐωχίαν* cum audias, *ἐς Μακεδόνων εὐ.* subaudire tibi videaris.

Recte autem Ritschelius, qui hunc lusum primus animadvertit[16]), huiusmodi lusus ab Aristophanis vel consuetudine vel poesis genere minime alienos esse dicit.

---

[14]) et *ἵνα* particula altera res introducitur: Eq. v. 1182. Pac. vss. 928, 931.

[15]) item ita prolata, ut originem quandam his verbis indicari appareat, Eq. v. 901: *καὶ νὴ Δί'*, ibid. v. 1189 *γάρ*.

[16]) opusc. philol. I p. 432 in disputatione illa de Agathonis tragici aetate.

Velut Nubium vss. 96. 97, ubi caelum quasi quaedam theca, qualis carbonibus imponi solet (*πνιγεύς*), terrae circumdatum esse dicitur, cum pergitur

v. 97 . . . . *ἡμεῖς δ' ἄνθρακες*,

hoc ideo additum esse apparet, quo subaudiatur *ἄνθρωποι*. Et sicut in nominibus *ἄνθρακες* — *ἄνθρωποι*, ita in verbis ab eis derivatis Avium v. 1546, ubi Prometheo Pithetaerus dicit:

μόνον θεῶν γάρ διά σ' ἀπανθρακίζομεν.

Itaque, cum imagine vel proverbio aliqua res exprimitur, ipsum illud verbum, quo proprie ea significatur, sono attingitur.

Etiam saepius autem invicem in proverbio aliquo vel omnino qualibet dictione praeter opinionem — *παρ' ὑπόνοιαν* — verbum quoddam sententiarum nexu postulatum interponitur, quod ei, quod exspectaveris, simile sit. Velut in ipsius Ranarum — quem locum huc statim subiungam — versu 855 dicitur

[*ἵνα μὴ*] *ἐκχέῃ τὸν Τήλεφον* (Euripidis scil.)

cum *ἐγκέφαλον* exspectaveris; proverbio autem immutato Lys. v. 110: *σκυτίνη 'πικουρία* pro *συκίνη*[17]), Ach. v. 850 pro *ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων*: *ὁ περιπονηρὸς Ἀ.*[18]), Pac. v. 898 *πὺξ ὁμοῦ καὶ τῷ πέει* pro *σκέλει*[19]) et quae sunt similia.

Totum igitur genus versatur in similitudine duorum verborum, quorum exprimitur alterum, alterum mente suppeditatur.

3. Dionysus, postquam, cur Euripidem ab Orco repetere velit, fratri exposuit, strenue iam, ut sibi viam ad inferos ferentem indicet, ab eo petit. Qui, cum ille, ne calidiorem neve frigidiorem dicat, praemonuerit (*καὶ μήτε θερμὴν μήτ' ἄγαν ψυχρὰν φράσῃς* v. 119) versu 120 sic incipit:

120 *φέρε δή, τίν' αὐτῶν σοι φράσω πρώτην; τίνα;*
μία μὲν γὰρ ἔστιν ἀπὸ κάλω καὶ θρανίου
κρεμάσαντι σαυτόν.

Iocose igitur Hercules talibus verbis utitur, qualibus et iter quoddam maritimum indicare et, sententiam ubi verbis *κρεμάσαντι σαυτόν* aperuerit, suspendium recte significasse videatur. *κάλως* enim *καὶ θράνιον*, ut funis transtrumque, ita etiam restis scabellumque dici possunt. Itaque lusus in eo vertitur, quod id, quod primum miratus sis, deinde ubi ea, quae sequuntur, audiveris, iam rectissime dictum esse intellegis, cum scilicet alium sensum supponas.

Similem in modum Hercules alterum consiliorum suorum componit; pergit enim, ubi prius a Dionyso reiectum est v. 122, v. 123 sic:

123 *ἀλλ' ἔστιν ἀτραπὸς σύντομος τετριμμένη*
ἡ διὰ θυείας,

ubi primum semitam tritam intellegis, deinde, ubi certior factus es, quae via dicatur, cicutae item tritae commoneris. (Pacis autem v. 12 quod dicitur *τετριμμένης γάρ φησιν ἐπιθυμεῖν*, et ipsa *τετριμμένης* vox aliter ambigua est et totius lusus alia ratio; una enim ambae notiones intelleguntur.) Quod autem hic compluribus verbis efficitur, ut ea, quae proxime antecesserunt, alio atque antea sensu accipias, id solum hominis nomen praestat Vesparum v. 19, ubi Xanthias,

---

[17]) Rohdewaldius l. c. p. 30. 31. [18]) ibid. p. 31. [19]) ibid. p. 30.

cum sibi aquilam visam esse, viperam — *ἀσπίδα* v. 17 — e foro tollentem, narraverit, sic desinit:

19. *κἄπειτα ταύτην ἀποβαλεῖν Κλεώνυμον.*

Cum enim Cleonymus sit „*ῥίψασπις*“[20]) vel „*ἀσπιδαποβλής*“[21]) insignis, eius nomen ubi primum pronuntiatum est, vipera illa evadit clipeus, qui item Graece est *ἀσπίς*.

Et, quamquam non duas unius verbi notiones esse, sed duo verba inter se diversa dixeris, tamen propter similitudinem rationis huc adiunxerim, quod in eundem Cleonymum iacitur Avium v. 1473 qss.:

ἔστι γάρ δένδρον πεφυκὸς
ἔκτοπόν τι Καρδίας ἀ-
πωτέρω Κλεώνυμος.

Et in huiusmodi exemplis usu venit id, quod Cicero dicit[22]), natura nos nostrum delectare errorem: ex quo, cum quasi decepti simus exspectatione, rideamus.

4. Redeundum est ad ea verba, quibus prius illud Herculis consilium Dionysus reicit. Ubi enim ille verbis *κρεμάσαντι σαυτόν* v. 122 suspendium significavit, sic a Dionyso interpellatur:

122 . . . . *παῦε, πνιγηρὰν λέγεις*

quo lepidissime ille ambiguitatem vocis *πνιγηρός* in suum usum convertit. Qua enim in via *το πνίγειν*, i. e. suffocare, evenit, ea sine dubio est *πνιγηρά*; atqui *πνιγηρά* idem est, quod calida: ergo Dionysus, cum calidam viam sibi placere negaverit (v. 119), iure id, quod Hercules proprosuit, repudiat. Apertum est, quae huius lusus sit ratio. Facete enim talis vox eligitur, qua cum et id, quod demonstrandum est, exprimatur et alind aliquid, quod verum esse appareat, ubi primum illa vox pronuntiata sit, acta esse argumentatio videatur.

Et hoc genus, quod, cum una ambae notiones percipiantur, vel maxime audientes allicit, satis crebrum apud Aristophanem est. Sicut autem hic Hercules ambiguo circumvenitur, ita in similes insidias Cleo incidit cum Equitum v. 846 clipeos Pylo reportatos commemorat. Admonetur enim ab insiciario:

v. 847 *ἐπίσχες ἐν ταῖς ἀσπίσιν· λαβὴν γὰρ ἐνδέδωκας.*

Sed sunt loci, in quibus latius horum ambiguorum vis ac potestas pateat. Utitur enim eis Aristophanes ad commiscendas fictas res cum veris, quo fit, ut una voce summae totius alicuius fabulae commonearis. Velut in eo loco Avium, in quo chorus commoda imperii modo instituti exponit, vss. 764 . 765 hoc commemoratur:

764 *εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κὰρ ὥσπερ Ἐξηκεστίδης,*
φυσάτω πάππους παρ' ἡμῖν, καὶ φανοῦνται φράτορες.

Similiter autem v. 1110 dicitur:

1110 *τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς ἀετόν,*[23])

---

[20]) Nub. 353. [21]) Vesp. 592. [22]) Cic. de or. II, 64, 260 cf. 255.

[23]) nam quod v. 1100 dicitur: *γλαῦκες ὑμᾶς οὔποτ' ἐπιλείψουσι Λαυριωτικαί*, *Λαυριωτικαί* demum voce pronuntiata percipitur ambiguitas verbi *γλαῦκες*, referendum igitur est hoc exemplum ad idem genus atque *ἀπὸ κάλω καὶ θρανίου* supra tractatum.

et v. 1251 . 52 Pithetaerus, porphyriones se contra Iovem missurum esse minatus, gloriatur:

1251 . . . . καὶ δή ποτε
εἷς Πορφυρίων αὐτῷ παρέσχε πράγματα.

Κάνθαρος autem ille Trygaei vel duplici lusui locum dedit. Pacis enim v. 143 Trygaeus dicit

143 τὸ δὲ πλοῖον ἔσται Ναξιουργὴς κάνθαρος
et 145: ἐν Πειραιεῖ δήπου 'στὶ Κανθάρου λιμήν.

Itaque, quoniam in talibus nominibus propriis versamur, quorum appellativa quoque notio est, etiam, quamvis non tam in significatione quam in sono ambiguitas posita sit, propter rationis similitudinem duo exempla adiungam. Avium enim v. 395 qss. Pithetaerus Euelpidem, ubi eum locum, quem obtinent vasis exaedificatis contra avium impetum muniverunt, sic de instanti morte consolatur:

395 ὁ Κεραμεικὸς δέξεται νώ.
δημόσια γὰρ ἵνα ταφῶμεν,
φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγοὺς
μαχομένω τοῖς πολεμίοισιν
ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς.

Quae ambigua, cum utraeque notiones prorsus ad eum locum pertineant, vel maxime hoc genus commendent.

5. In exordio eius cantus, qui a choro ranarum recitatur, ranae inter se ad canendum id carmen (ἀοιδάν 213) invitant,

v. 215 ἣν ἀμφὶ Νυσήιον
Διὸς Διόνυσον ἐν
Λίμναις ἰαχήσαμεν.

In *Λίμναις* igitur pago ranas cecinisse cum audiveris, appellativae eius nominis notionis non potes non meminisse. Sed non in ambabus notionibus una percipiendis lusus vertitur — sicut in eis ambiguis, quae modo consideravimus — verum separatim utramque intellexeris.

Similiter in eo Lysistratae loco, in quo legati Lacedaemoniorum cum Atheniensibus de pace facienda agunt, talia nonnulla verba usurpantur, quae et ad pacis condiciones pertineant et Atheniensium vel Lacedaemoniorum libidinem exprimant, velut

v. 1162 ΛΑΚ. ἁμές γα λῶμες, αἴ τις ἁμῖν τοὔγκυκλον
λῇ τοῦτ' ἀπόδομεν.
v. 1166 ΑΘ. ν. . . . . κἆτα τίνα κινήσομεν[24]);
v. 1169 ΑΘ. . . . . τὸν Μηλιᾶ
κόλπον τὸν ὄπισθεν καὶ τὰ Μεγαρικὰ σκέλη.

Quod autem in eadem Lysistrata praeco descripta Lacedaemoniorum sociorumque libidine v. 996:

996 . . . . Πελλάνας[25]) δὲ δεῖ, dicit,

---

[24]) propter ipsam enim ambiguitatem hoc genuinum esse apparet neque ferendum, quod Kockius in hoc (et in antecedente) versu corrigendum proponit in Verisimilibus in „Fleckeisen's Jahrb. 6. Supplbd." p. 261.

[25]) recte enim Engerus, quamvis meretricem fuisse nomine Pellenen scholiasta, ut Dindorfius suspicatur, (ed. Oxon. tom. III p. 804) coniecerit, aliter posse hunc locum intellegi negat.

prae urbe illa Achaica meretrix quaedam, cui idem nomen erat, intellegitur; praevalet igitur hic ea notio, qua accedente lusus nascitur; quae in eis exemplis, quae supra attuli, subaudiebatur.

Similiter praevalente appellativa nominis proprii notione in nomine quod est *Λυσιμάχη* bis luditur: Pac. v. 991 et Lysistr. 554.

Altera autem significatione in solo sono posita, ut hoc statim subiungam, Vesparum v. 1148 *ἐριώλη* vox usurpatur. Cum enim laenam aliquam magnam vim lanae absumpsisse Bdelycleo suspicatus sit, Philocleo iocatur:

1148 *οὔκουν ἐριώλην δῆτ' ἐχρῆν ταύτην καλεῖν*
δικαιότερόν γ' ἢ καυνάκην;

Itaque ratione simile hoc genus est ei, quod supra secundo loco tractavimus, cum aut in proverbio aliquo vox in sententiarum nexu innisa sono attingatur, aut haec ipsa in proverbio interponatur, illa, quae eius proverbii propria sit, subaudita.

6. In eo epirrhemate, in quo quasi quidam *γεφυρισμοὶ* continentur, praeter alios filius Clisthenis carpitur; quem postquam luctu perculsum in sepulcro sedere narratum est, sic pergitur:

v. 425 *κἀκόπτετ' ἐγκεκυφὼς*
κἄκλαε, κἀκεκράγει
Σεβῖνον, ὅστις ἐστὶν ἀναφλύστιος.

Verbis igitur *ὅστις ἐστὶν ἀναφλύστιος* cum patria Sebini illius indicari videatur, mores eius describuntur. Nam, cum fictum illud Sebini nomen obscoenum sit, fieri non potest, quin *Ἀναφλύστιος* quoque, quo proprie homo ex Anaphlysto pago significatur, in similem sensum deflectatur. Et, tamquam a verbo *ἀναφλᾶν* derivatum, eum illud indicat, *ὃς ἀναφλᾷ καὶ μαλάσσει τὸ αἰδοῖον* (schol.) Lusus igitur is est, quod, cum nomen proprium aliquid simile sonet cuidam appellativo, sententiarum nexu efficitur, ut eius appellativi illud notionem accipere videatur. Itaque simile hoc genus est ei, quod modo tractavimus, nisi quod ambiguitas in his exemplis non genuina est, sed sententiarum demum nexu procreatur. Priusquam autem plura exempla afferam, locum quendam commemoraverim, in quo in eadem *Ἀναφλύστιος* nominis ambiguitate alium in modum luditur. Ecclesiazusarum enim v. 979 adulescens Anaphlystium quendam hominem se quaerere ait, anus, quemnam quaerat percontata sic ab illo eluditur:

v. 980 *οὐ τὸν Σεβῖνον, ὃν σὺ προσδοκᾷς ἴσως.*

Huius enim ioci eadem ratio est, atque eorum ambiguorum quae tertio loco consideravimus. Utraque enim notio una percipitur, sed non tum, cum ambiguum verbum exprimitur, sed, ubi aliis interiectis eius recordaris. Itaque in eodem ambiguo pluribus rationibus ludi potest.

Sed redeo ad ea, quae non tantum genere sed etiam ratione ad id pertinent, a quo profecti sumus. Gentilia autem potissimum nomina huiusmodi lusui opportuna sunt. Velut Acharnensium v. 808 Dicaeopolis, porcorum, quos Megarensis dicebat esse, expertus voracitatem,

v. 808 *ποδαπὰ,* exclamat, *τὰ χοιρί'; ὡς Τραγασαῖα φαίνεται.*

Versu enim 806 dubitaverat *ἆρα τρώξονται;* Et idem *Τραγασαῖος* nomen etiam aliter ambiguum redditur. Ibidem enim vss. 852.53 dicitur

852 *ὄζων κακὸν τῶν μασχάλων*
πατρὸς Τραγασαίου.

Itidem ei, quorum *τὸ φαίνειν* proprium est, originem a Phaside flumine ducere dicuntur:

Ach. v. 725 *ἐνταῦθα μήτε συκοφάντης εἰσίτω*
μήτ' ἄλλος, ὅστις Φασιανός ἐστ' ἀνήρ,

et Av. v. 68 *Ἐπικεχοδὼς ἔγωγε Φασιανικός,*

ubi *Φασιανικός* nomen eum significat, qui e patria eorum, qui illic *Φασιανοί* sunt dicti, oriundus est.

Non vero adiectivis tantum huiusmodi ambiguitas additur: substantiva quoque, quae locum vel populum indicant, ita ponuntur, ut eius hominis, cuius patria eis indicatur, mores describant. Cuius rei plura in uno loco exempla inveniuntur. Equitum enim vss. 78.79 membra Cleonis sic disposita esse dicuntur:

78 *ὁ πρωκτός ἐστιν αὐτόχρημ' ἐν Χαόσι,*
τὼ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν,

ubi ultimum hoc, quod est *ἐν Κλωπιδῶν,* ad aliud genus pertinet; ambiguitatis enim gratia effectum est ex *Κρωπιδῶν* nomine, quo demi cuiusdam incolae appellabantur. Cuius generis in Ranis id ambiguum est, ad quod nunc venimus considerandum.

7. In eodem enim epirrhemate, in quo modo exemplum invenimus, Clisthenis filio dimisso Callias his verbis petitur:

v. 428 *καὶ Καλλίαν γέ φασι*
τοῦτον τὸν Ἱπποβίνου
κύσθῳ λεοντῆν ναυμαχεῖν ἐνημμένον,

ubi Hippobini illud nomen effectum est ex Hipponici, quo Callias, eius filius, propter libidinem carperetur. Ipse enim Hipponicus non magis tangitur, quam incolae pagi Cropidarum in illo Equitum loco. Et in eadem Equitibus fabula Cleonis irridendi causa, avus eius dicitur fuisse

v. 449 *τῶν Βυρσίνης τῆς Ἱππίου* [*δορυφόρων*].

Ut autem alius quoque generis verba item mutata una alterave littera in ambiguitatem coacta afferam: Acharnenses in fabulae cognominis v. 234 se oportere dicunt, cum Dicaeopolin persequantur, *βλέπειν Βαλλήναδε,* et maiore etiam mutatione Cleo arguitur Equitum v. 996 non posse discere nisi *δωροδοκητί,* quo quasi explicatur ea significatio, quae latet in *Δωριστί,* alius generis ambiguo Equitum v. 989.

8. Cum Dionysus apud Plutonis aedem, quomodo ianua apud inferos pulsanda sit, incertus cunctetur, Xanthias eum impellit:

v. 462 *οὐ μὴ διατρίψεις, ἀλλὰ γεύσει τῆς θύρας*
καθ' Ἡρακλέα τὸ σχῆμα καὶ τὸ λῆμ' ἔχων.

Species igitur et indoles, e quibus quasi duabus partibus Hercules efficitur, comprehenduntur similitudine eorum sonorum, quibus Graece exprimuntur.

Prorsus autem similiter in ipsa Ranarum fabula, Dionysus quid omnino valeat, duobus verbis inter se similibus expletur. Xanthias enim, cum ut ingenuum dominum suum ab Aeaco laudari audivit, hanc ingenuitatem sic describit vss. 740:

. . . . *πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας,*
740 *ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον;*

Verum in eis quoque, quae non alterum cum altero continentur, sed inter se opponuntur, similitudo sonorum quaeritur. Cuius rei iterum in Ranis exempla praesto sunt. Versu enim 1434 Dionysus, postquam de Alcibiade et Euripides et Aeschylus sententiam dixerunt, cur nihilo minus indicium facere dubitet, hanc causam profert:

1434 *ὁ μὲν σοφῶς γὰρ εἶπεν, ὁ δ' ἕτερος σαφῶς.*

Et eodem pertinet, quod Dionysus Euripidis illum versum, quo dubitatur, an vivere potius sit emori, adnectendis ridiculis his dubitationibus ludibrio habet

v. 1478 *τὸ πνεῖν δὲ δειπνεῖν, τὸ δὲ καθεύδειν κῴδιον.*[26])

Similiter inter se opponuntur Avium v. 184 *πόλον* — *πόλις*, ibidem vss. 637.38 *ῥώμῃ* — *γνώμῃ*, Pluti vss. 1034.35 *κατατέτηκ[α]* — *κατασέσηπας*, et quae sunt similia; satis crebrum enim hoc genus apud Aristophanem est. Inter quae exempla id discrimen intercedit, quod nonnumquam ea verba, quorum in similitudine luditur, inter duos homines dispertiuntur, sicut in eo Pluti loco, quem modo attuli.

Interdum autem etiam in enumeratione aliqua cum neque opponuntur inter se res, neque ut duae unius rei partes componuntur, verborum similitudo quaeritur. Cuius generis in Acharnensium fabula compluria exempla inveniuntur, velut vss. 269.70:

269 *πραγμάτων δὲ καὶ μαχῶν*
καὶ Λαμάχων ἀπαλλαγείς (eadem verba v. 1071)

et v. 575 *ὦ Λάμαχ' ἥρως τῶν λόχων καὶ τῶν λόφων*[27]) (eadem verba v. 1074).

Restant pauca exempla, in quibus non aequales in sententia locos ea verba, in quibus luditur, obtinent, sed alterum ab altero pendet. In Ranarum enim parabaseos antepirrhemate chorus, cum cives vituperavit, quod hominibus novis tamquam deterioribus nummis maluerint uti, quam veteribus probatisque, hortatur v. 735

χρῆσθε τοῖς χρηστοῖσιν αὖθις.

Similiter Equitum vss. 455.56 dicitur *κόλοις* — *κολᾷ*[28]) (= *κολάσει*).

Certam autem inter ea verba, in quorum similitudine luditur, intercedere rationem oportet, quo lepos nascatur. Cum enim verba similium sonorum cumulantur, leporis acumen obtunditur et aures tantum sono mulcentur. Velut Nubium versu 6, cum Strepsiades exclamat:

Nub. 6 *ἀπόλοιο δῆτ', ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα*[29])

et fragm. 711 (Dind.)

τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντalίζεται.

---

[26]) nolui hoc exemplum in alterum huius commentationis partem, qua de singulis locis agam, remittere, quamquam sunt qui dubitent, num recte ea, quae supra descripsi, sint tradita. Nam cuius operam in **corporis** negotiis contineri ex ambiguo illo proxime allato *πίνειν* — *βινεῖν* v. 741 satis didicimus, is, assequi non possum, cur non rectissime hanc dubitationem moveat, qua deliberetur, num aera pulmonibus potius, quam ventre cibum excipere sit edere [? R.] appellandum. Minime autem Dionysum decent, et quod e cod. Elb. Kockius proposuit recipiendum *πονεῖν*, et quod Fritzschius ipse coniecit *πεινῆν*.

[27]) ad hunc locum nonnulla huius generis exempla ab Alberto Muellero afferuntur; quod autem Muellerus-Struebingius l. c. p. 503 separatim etiam in utriusque nominis ambiguitate ludi censet, non observavit plures iocos in eodem loco percipi non posse.

[28]) quamquam enim *κόλοις* pertinet ad antecedens verbum *γάστριζε*, tamen mente etiam ad hoc, quod est *κολᾷ* trahitur.

[29]) ad quem locum Kockius similia affert.

9. Eodem fere, quo ambiguum illud supra allatum (p. 4) *βοῖ — βοηθεῖν* (Pac. v. 925 . 26), pertinet iocus Ran. vss. 751—53 e similitudine verborum *μαίνομαι* et *ἐκμιαίνομαι* elicitus; nisi quod non ut consequens, sed ut maius alterum ex altero repetitur. In eo enim loco Xanthias et Aeacus de servitio colloquentes hoc de dominis decipiendis consensus specimen edunt: v. 750 *ΞΑΝ. . . . . καὶ παρακούων δεσποτῶν*

ἅττ' ἂν λαλῶσι; ΑΙ. μᾶλλα πλεῖν ἢ μαίνομαι.

ΞΑΝ. τί δὲ τοῖς θύραζε ταῦτα καταλαλῶν; ΑΙ. ἐγώ;

μὰ Δί', ἀλλ' ὅταν δρῶ τοῦτο, κἀκμιαίνομαι.

κἀκμιαίνομαι igitur ita profertur, tamquam simile aliquid atque *μαίνομαι,* quamvis amplius quam illud dicatur, cum tamen *ἐκμιαίνομαι* sit notionis prorsus diversae. Quod fere eodem redit ac si eventus quidam e nominum — eius, quo ipse significatur et eius, quo causa, quae dicitur esse, indicatur — similitudine ridicule repetitur.

10. In musico illo certamine postquam Euripides carmina Aeschylea cum irrisione imitatus versum intercalarem, qui est: *ἰὴ κόπον*[30]) *οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;* bis (vss. 1265 et 1267) interposuit, Dionysus ad Aeschylum conversus v. 1269

δύο σοι, inquit, *κόπω, Αἰσχύλε, τούτω,*

quo et vocem *κόπον* bis positam recte notat, et, cum repetitio illa ad detrectandam Aeschyli laudem pertineat, plagas duas Aeschylo inflictas tecte significat. Itaque non in duabus unius vocabuli notionibus luditur, sed vox aliqua primum mera per se spectatur, deinde id, quod ea significatur, intellegitur. Similiter tertiam plagam Dionysus notat v. 1272 *τρίτος, Αἰσχύλε, σοι κόπος οὗτος,* et postquam etiam saepius ille versus rediit, taedio commotus v. 1278

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, exclamat, *τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον*

pergitque *ἐγὼ μὲν οὖν εἰς τὸ βαλανεῖον βούλομαι.*

ὑπὸ τῶν κόπων γὰρ τὼ νεφρὼ βουβωνιῶ,

nisi quod hic ratio ambiguitatis alia est, cum in plurali numero *κόπων*[31]) vox illa aliquoties repetita et id, quod ea significatur, una intellegantur.

Non vero crebrum, ut natura fert, hoc genus est. Apud Aristophanem unum exemplum inveni, quod ei, de quo agimus, comparaverim. Vesparum enim v. 45, cum Alcibiades balbutiens *κόλακος* dixisse pro *κόρακος* narretur, is est sententiarum nexus, ut eius quoque verbi, quod recte *κόλακος* pronuntiatur, potestas valeat. Verba enim sunt haec:

v. 44 *ΣΩΣ. εἶτ' Ἀλκιβιάδης εἶπε πρός με τραυλίσας·*

ὁλᾷς; Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει.[32])

ΞΑΝ. ὀρθῶς γε τοῦτ' Ἀλκιβιάδης ἐτραύλισεν.

Quodsi quaesiveris, quo potissimum singulare hoc genus subiungendum sit, ea his ambigua simillima dixerim, quibus in duabus unius vocabuli notionibus luditur.

---

[30]) sic cum Bergkio et Kockio [et Meinekio R.] scripserim pro vulgato *ἰήκοπον*.

[31]) Caeterum *κόπον* vox aliquoties repetita Graece aliter omnino non poterat exprimi, nisi declinato nomine *οἱ κόποι,* sicut Av. v. 58 dicitur: *οὐκ ἀντὶ τοῦ παιδὸς σ' ἐχρῆν ἐποποῖ καλεῖν;* quem ad locum conferas quae ab Hauptio et Lehrsio Kockius attulit eis, qui *παιδὸς* in *παῖ, παῖ* mutare volebant rectissime obiecta.

[32]) Nolo pluribus reicere quae praeterea inesse in hoc versu ambigua putarunt Eustath. Od. 1764, 30 (appellatur a Dindorfio ed. Oxon. ad Equit. v. 79) et Richterus ad hunc locum: in *ὁλᾷς* subaudiri *ὁ λᾶς* = lapis et *Θέωλος* ita accipiendum esse, tamquam compositum sit ex *θεός* et *ὄλλυμι,* interpretandum igitur: deis invisus.

11. Finito auletico carmine Euripides citharoedicum imitatus cum inter binos versus vocem citharae sono similem interponat, Dionysus aliquot versibus auditis Aeschylum interrogat v. 1296 qs.   v. 1296 *τί τὸ φλαττοθρατ τοῦτ' ἐστίν; ἐκ Μαραθῶνος, ἢ*
πόθεν συνέλεξας ἱμονιοστρόφου μέλη;

ἱμονιοστρόφου μέλη Dionysus ea carmine dicit, quia versus ab Euripide recitati insolentioris longitudinis sunt vel tales, quales restio restibus suis aequasse possit putari. Cur vero Marathone potissimum ea carmina repetita esse Dionysus suspicetur, eius rei in scholio in codice R tradito exponitur causa: *διὰ τὸ ἔχειν φλατ ἐν ἀρχῇ παρόμοιον τῷ φλέῳ, ὡς ἐν Μαραθῶνι οὖν τοῦ φλέω πολλοῦ ὄντος· ἑλώδης*[33]) *γὰρ ὁ τόπος.* Minime enim hic — id quod Thierschius voluit ad. h. l. — de pugna Marathonia cogitari potest. Neque enim *ἱμονιοστρόφου μέλη* ad bellum pertinent, neque *φλαττοθρατ* vox clamori militari similis est. Itaque, quia *φλαττοθρατ* et *φλέως* voces simile sonant, *φλέως* autem Marathone provenit, ideo Dionysus putat ea carmina, in quibus *φλαττοθρατ* vox inseritur, Marathone repetita esse. Idem igitur lusus est atque is, quem supra p. 3 cognovimus, cum Equitum vss. 900 . 901, quod *πυρροί* heliastae facti sint, id *Πυρράνδρου τὸ μηχάνημα* dicitur fuisse. Id tantum discrimen est, quod Pyrrhandri nomen exprimitur, *φλέως* autem vox, quae verbis *ἐκ Μαραθῶνος* et *ἱμονιοστρόφου* tangitur, suppeditanda audientibus relinquitur. Cuius rei, quamquam in hoc genere, quo alterum verbum ad alterum propter similitudinem sonorum refertur, praeter id, de quo agimus, exemplum non inveni, in alio genere praesto est. Nonnumquam enim ita in duobus verbis luditur, ut alterum altera persona exprimat, altera alterum intellegat vel intellegere se simulet. Velut in prologo Vesparum Sosiam in narrando insomnio dicentem v. 39:

εἶθ' ἡ μιαρὰ φάλαιν' ἔχουσα τρυτάνην
ἵστη βόειον δημόν

Xanthias his verbis interpellat:

40 . . . . *οἴμοι δείλαιος*
τὸν δῆμον ἡμῶν βούλεται διιστάναι.[34])

Iam vero non expresso altero vocabulo Vesparum vss. 925 . 26 luditur in similitudine verborum, quae sunt *τὸ σκῖρον* i. e. crusta casei et *ὁ σκῖρος* vel *ἡ σκιῤῥάς* scil. *γῆ* i. e. gypsum. De Labete enim cane cum Xanthias inde a v. 924 dixerit:

ὅστις περιπλεύσας τὴν θυείαν ἐν κύκλῳ
ἐκ τῶν πόλεων τὸ σκῖρον ἐξεδήδοκεν,

Philocles v. 926 queritur:

ἐμοὶ δὲ γ' οὐκ ἔστ' οὐδὲ τὴν ὑδρίαν πλάσαι.

Quod autem *τὸ σκῖρον* et *ὁ σκῖρος* similiora sunt quam *φλαττοθρατ* et *φλέως* hoc ad diversam utriusque generis rationem referendum est. Ut enim alterum verbum pro altero intellegas, multo maior inter ea similitudo intercedat necesse est, quam si alterum ex altero repetitur, sicut *βοηθεῖν* Pacis illo loco, qui supra allatus est (p. 4) ex *βοΐ* (Pac. vss. 925 . 26). Quamquam, si quis non liquide audire ludibrii causa velit, quam exigua similitudo verborum sufficiat, exemplo est, quod Acharnensium v. 1117 Dicaeopolis, ubi Lamachus interrogatus *πότερον ἀκρίδες ἥδιόν ἐστιν, ἢ κίχλαι* (v. 1116) *οἴμ' ὡς ὑβρίζεις* respondit, inde colligit: *τὰς ἀκρίδας κρίνει πόλυ.*

---

[33]) Bursian Geographie von Griechenland I. 337.

[34]) in eisdem verbis, sed uno tantum expresso luditur Equit. v. 954.

12. Finito musico certamine Dionysus, priusquam iudicium faciat, utrumque poetam primum de Alcibiade, deinde omnino de republica Atheniensium sententiam dicere iubet. Et cum Euripides suaserit, ut Athenienses eos cives, quibus tunc uterentur, mitterent, eos autem, quibus non uterentur, adsciscerent (vss. 1446—1450), Aeschylus primo recusat suadere (vss. 1458.59), deinde denuo a Dionyso invitatus (v. 1460) vss. 1463—65 hoc consilium dat:

1463 *τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι τὴν τῶν πολεμίων*
εἶναι σφετέραν, τὴν δὲ σφετέραν τῶν πολεμίων,
πόρον δὲ τὰς ναῦς, ἀπορίαν δὲ τὸν πόρον.[35]

Itaque *πόρος*, quo verbo proprie vadum significatur, cum translate in universum de facultate sese expediendi dicatur, Dionysus autem vias expediendae reipublicae proponi iusserit, hanc eius verbi notionem, ubi id in consilio dando usurpatur, intellegi necesse est. Dicitur igitur in priore parte illius sententiae (quod non ita inauditum erat): salutem in navibus positam esse. Iam vero, cum in altera parte *ἀπορίαν*, inopiam, esse *τὸν πόρον* contendatur, manifestum est aliam huius verbi significationem intellegendam esse. Et separatim *πόρος* de reditu pecuniae dicitur. Itaque Aeschylus reditus salutem reipublicae adferre negat.[36] Quare, si totam sententiam respicis, quasi per griphum agitur, cum *πόρον* vox alio aliter loco accipienda sit, quo sensus intellegatur.

Similiter duplex *τόκος* vocis significatio adhibetur Thesmophoriazusarum v. 845, quo in versu ea verba continentur, quibus chorus mulierum matrem talis hominis, qualis Hyperbolus est (v. 840), increpandam esse censet, cum ei usura (*τόκος*) recusetur:

v. 845 *ἀξία γοῦν εἶ τόκου, τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον*[37]).

Quamquam hic verbum eiusdem stirpis, quod sicut *ἀπορίαν* interponitur — *τεκοῦσα* dico — ad alteram notionem pertinet, cum *ἀπορίαν* ad *πόρον* priore loco positum spectet. Eiusdem generis est, quod Pluti vss. 1205 — 1207 Chremylus de anu vasis super caput impositis digrediente iocatur:

---

[35]) Recte Koekius negat ex Aeschyli ingenio esse, Aeschylus personatus, vel quod omnino impulsus faciat quod ante facere negaverit, vel quod nimio redeundi ad superos desiderio flagret (vs. 1461: *ἐκεῖ φράσαιμ' ἄν, ἐνθαδὶ δ' οὐ βούλομαι*), vel quibus verbis in suadendo utatur nimis scilicet ex contrario ductis. Quae omnia optime convenire, si Euripides personatus hos versus dixerit. Neque a veri similitudine abhorret, cum totus hic locus, in quo consilia de republica servanda dantur, manifesto turbatus sit — Dindorfius, quomodo digerendas patet commixtas duas eius partis recensiones exposuit: Ar. fragmenta ex rec. G. Dind. Lips. 1829 — ea verba, de quibus agimus, errore ad Aeschylum personatum delata esse. Namque simillimus extremus potissimum versus est ei consilio quod v. 1443 Euripides dedit: *ὅταν τὰ νῦν ἄπιστα πίσθ' ἡγώμεθα* e. q. s.

